



## **Forum Ecclesiasticum**

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

**Leuren, Peter**

**Moguntiae, 1720**

Quæst. 58. An & qualiter sponsalia dirimantur susceptione ordinis sacri.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73973)

ipsum peccatum contra caritatem, si matrimonium inaeatur isto animo sponsae non manifestato (nisi forte ex ista manifestatione damnum aliquod tali animo contrahenti imminet) docent Castrop. *num. 7.* Sanch. *d. 43. n. 12.* Gutt. *c. 25. n. 5.* eò quòd praesumi possit sponsam non consenturam contractui, si eum animum sciret, cum cogatur esse absque nuptiis, quousque talis profiteatur, vel etiam, si is religionem deleterat, esse uxor illius, qui fuit monachus. Quòd si tamen etiam interesset alterius ex contrahentibus, matrimonium prius contrahi. V. G. quòd hac ratione famae foeminae consulatur, & proles ex ea nata legitimaretur, Sanch. Gutt. Henric. apud Castrop. *l. c. n. 5.* censent non posse talem ingredi religionem. Quòd certum est, ubi spe matrimonii deflorata mulier; vel etiam, si non secuta copulâ, gravem tamen famae iacturam fecit; cum talis non potest injuriam virginitatis aut famae aliter refarcire. Pirh. *num. 54.* citans Sanch. *l. 1. d. 44. num. 3. & 4.*

*Quest. 58. An & qualiter sponsalia dirimantur susceptione ordinis sacri.*

1. Resp. Ad primum: Affirmative est communis; quia per susceptionem ordinis sacri assumitur status incompatibilis, cum matrimonio, seu quo quis redditur inhabilis ad matrimonium contrahendum.

2. Resp. Ad secundum: Solvuntur tamen hac ratione sponsalia illicitè; seu illicitè, veniente sponsa, suscipiuntur ordines sacri, Pirh. *h. t. num. 55.* Castrop. *p. 19. n. 2.* citatis Rebell. *l. 4. de matrim. q. 9. sect. 9.* Sanch. *d. 47.* Coninck. *d. 23. du. 3. num. 25.* contrarium sentientibus Ponc. *l. 12. c. 11. n. 3.* Gutt. *c. 26. n. 2.* Henric. *l. 11. c. 14.* Nav. *c. 22. n. 25.* & idem indicante Laym. *l. 5. tr. 10. part. 1. c. 2. n. 7.* contrario omnino fundamento nituntur hi AA. Posteriores in eo fundant se, quòd velint in sponsalibus tacite includi hanc conditionem: nisi elegero statum perfectiorem. Negant id ipsum alii, ajuntque ideo in sponsalibus conditionem status religiosi subintelligi exceptam; quia vel jure divino, vel saltem ecclesiastica sponsalia dirimit ob specialem ejus perfectionem, uti & propterea matrimonium ipsum ratum dirimit. *Extrav. antiqua. de vot.* Ordo autem clericalis vel etiam sacer nec jure positivo nec divino dirimit sponsalia; si enim ex hoc dirimeret, ea censeretur conditio imbibita in sponsalibus; quia est status perfectior quam conjugalis; jam omnia juramenta praestita in favorem hominis posset quis non exequi, affirmans in iis imbibiti conditionem: nisi perfectius elegero; quòd falsum est; confirmatur etiam ab illis ex praxi, quâ ab initiando sacris ordinibus quari solet, num contraxerit sponsalia; quòd signum est, neminem his contractis licite promoveri posse ad ordines.

*Quest. 59. An & qualiter sponsalia impediuntur vel solvantur, per votum ingrediendi religionem vel ordinis sacri suscipiendi, vel continentiae.*

1. Resp. Ad primum: Votum religionem ingrediendi (idem est de voto suscipiendi sacrum ordinem aut servandi continentiam) conceptum ante sponsalia, reddit ea, etiam juramento firmata, irrita *c. rursus. qui clerici vel voventes.* Siquidem per talia sponsalia promittitur res illicita. Nihilominus si post tale votum honestam foeminam sub fide data de contrahendo matrimonio quis defloraverit, non tantum poterit (quòd negant Nav. *l. 4.*

*consil. tit. de sponsal. cons. 21.* Rodriq. *sum. tit. 1. c. 208. n. 11.* Vivald. *can. de l. aur. part. 3. de Sacram. c. 14. n. 65.*) sed & tenetur foeminam illam ducere, non tam ob promissionem praecise, sed ob traditionem corporis sui bona fide (secus si puella conscia voti illius fuerit) factum sub conditione & pacto matrimonii futuri; aequitas enim naturalis non permittit, ut cum damno tanto proximi quis sit liberalis. Cumque votum tale per matrimonium non extinguatur, sed suspendatur; suspensio autem voti talis fieri possit ob varias causas incidentes, V. G. ob supervenientem parentum indigentiam, poterit quoque & quidem a fortiore fieri ob honorem puellae deceptae servandum. Hanc sententiam tenent Sanch. *d. 45. n. 3.* Gutt. *c. 25. n. 7.* Lessl. *l. 2. c. 10. du. 14.* Valq. *de rest. c. 3. in fine.* Laym. *l. c. n. 4.* Castrop. *l. c. p. 18. n. 9.*

2. Resp. ad secundum primò: Post contracta sponsalia etiam jurata utrumque emissum votum in religionem, vel etiam suscipiendi ordinis sacri sufficientem sponsae praebet causam resiliendi a sponsalibus; cum talis vovens tacite suo juri renunciet, Castrop. *p. 20. n. 1.* Sanch. *d. 46. n. 5.*

3. Resp. ad secundum secundò: Tametsi Laym. *l. c. Sanch. n. 2.* Gutt. *c. 26. n. 3.* Pont. *l. c. c. 11. n. 2.* & alii cum communi doceant, absolute per votum religionis dirimi praecedentia sponsalia; censet nihilominus Castrop. ex parte voventis non solvi sponsalia, priusquam promissionem emitat. Unde dum liberaretur a voto illo, eò quòd in nullam religionem admittatur, vel admissus in ea non perseveret, obligatus esset ad sponsalia implenda sponsa volente; cum nullibi cautum, tali voto, uti nec habitus religiosi susceptione, professione non secuta, solvi sponsalia. De cetero num post emissum votum tale possit quis adhuc inire matrimonium, animo ante consummationem illius ingrediendi religionem, non convenit inter AA, affirmant aliqui apud Sanch. *d. 43. n. 6.* Negant ipse Sanch. *n. 7.* Gutt. *c. 25. n. 4.* Castrop. *p. 18. n. 8.* eò quòd talis ineundo matrimonium exponat se manifesto periculo violandi votum suum, cui periculo se exponere est illicitum, nisi causa aliqua gravis excuset.

4. Resp. ad secundum tertio: Per votum suscipiendi ordinem sacrum solvuntur sponsalia, non secus ac per votum ingrediendi religionem in eorum sententia, qui docent, susceptione ordinis sacri ob hujus perfectionem solvi sponsalia; contrarium est in sententia docentium, contractis sponsalibus illicitè suscipi ordinem sacrum; adeòque invalidum esse votum de eo suscipiendo.

5. Resp. ad secundum quarto: Voto continentiae non tantum ex parte non voventis (utpote qui cognito tali voto potest cum alio inire licite sponsalia & matrimonium) sed integrè solvi sponsalia; docent Pont. *l. c. c. 12. n. 4.* Valq. *opus. de rest. c. 3. §. 3. du. 6. n. 17.* Suar. *l. 2. de voto. c. 4. n. 13.* Gutt. *de mat. c. 26. n. 1.* Azor. *p. 1. l. 11. c. 21. q. 10.* Castrop. *p. 20. n. 6.* contrarium tenent Sanch. *l. 1. d. 46. n. 9.* Laym. *l. c. c. 2. n. 6.* non negant tamen hi posteriores AA. votum tale esse omnino invalidum; sed docent, quòd quamvis invalidum sit, quatenus continet obligationem non contrahendi matrimonium cum eo, cui fidem dederat, valeat tamen, quatenus continet obligationem contracto matrimonio non petendi ab ea debitum, neque etiam non nubendi alteri; nec mirum sit, quòd ex parte sit validum, & ex alia parte invalidum; cum respiciat diversa objecta juxta *c. placet. de convers. conjugat.* Ratio verò horum AA. est, quòd conditio illa: nisi voluero